

AQVIS APONI DICATI TITVLI.

Patavinorum aquae calidae (sic Plinius h. n. 2, 103, 227; cf. 31, 6, 61) sive *Aponus* (Lucan. 7, 193: *Aponus terris ubi fumifer exit*; Silius 12, 218: *Apono gaudens populus*, significans Patavinos; Martial. 6, 42, 2: *fontes Aponi rudes puellis*; Sueton. Tib. 14: *sorte . . . monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos iaceret*; Claudian. idyll. 6 inscr. *Aponus*; Cassiodor. var. 2, 39: *salutiferi Aponi meminisse potentiam et post alia: quae [balnea] . . . Aponum Graeca lingua . . . nominavit antiquitas*) ibi fuerunt ubi hodie est vicus Abano, adhuc ut olim celebratus propter balnea et iucunda et salutaria. Nobis, qui non antiquam locorum condicionem explicamus, sed titulos colligimus, satis erit verbo monuisse de thermis ibi extractis, de quibus reficiendis Cassiodori epistula citata agit, ubi sic est: *antiqua illic aedificiorum soliditas innovetur, ut sive in thermis, sive in cuniculis fuerit aliquid reparandum, te debeat imminente reconstrui*, memoranturque item ibi palatium sive aedes publica et piscina Neroniana. Ad donaria complura ibi exposita, quorum quaedam supersunt, alludit Claudianus l. c. v. 4 seq.: *cum tibi (Aponi) plebeius carmina*

dictet honos et sit nulla manus, cuius non pollice ductae testentur memores prospera vota notae. Inscriptiones omnes cum numen significant elementis his A·A·, ea explicanda sunt aut *Apono Augusto* aut *aquis Aponi*, non *Aponis*, cum Aponum tantum apud auctores testatum habeamus; de Apolline enim non cogitarim, licet lacera scholia Veronensia ad Vergilii Aen. 1, 249 sic habeant: . . . *Antenoris . . . Aponi esse . . . tus Apollo dictus . . . dolores fuget*. — Geryonis oraculum, quod iuxta Patavium fuisse scribit Suetonius (Tib. 14), item prope Abanum fuisse cum Suetonius quodammodo indicat tum confirmat *Herculis aratri semita* quam ad Aponum monstratam esse ait Claudianus l. c. v. 25, recte huc relata a Cluverio Ital. ant. p. 152. Ad id oraculum cum sortes traherentur teste Suetonio l. c., eo retuli vol. 1 p. 267 seq. sortes aereas erutas in Gallia Transpadana et quidem teste Manutio *a Bahareno alla Montagna ubi dicitur Casa Ceccio*, probabiliter opinor; attamen cum locum a Manutio enuntiatum ut certo determinarem mihi non successerit, sortes eas hoc loco repetere nolui.

2783 tabella non magna, rep. Abani prope Monte Grotto in effossionibus quas instituit marchio Dondi-Orologio († 1789) POLCASTRO; extat Patavii apud academiam.

C · ACVTIVS
C · F · MATVRVS
A · A · V · S · L · M

Contuli. Inscr. acad.; Mandruzzato *prodromo alla seconda parte dei bagni d'Abano* (1791) in tabula; Polcastro apud eundem *bagni d'Abano* 3, 52 et *Padova* p. 160 tab. 3 (inde Orelli 1643); Furlanettus p. 46 n. 47.

2784 Patavii habuit Gualdus secumque tulit Vicetiam URS. apud Gualdos FERR. CERC. Addit ille rep. esse Vicetiae in S. Marcelli errore, cum id vere pertineat ad titulum statim apud Ferretum sequentem n. 3168. Hodie desideratur.

C · CASSIVS
SEVERVS
MISSVS · EX · PR
SPECVLATOR
5 A·A·V·S·L·M

Ursatus ms. et 1652 p. 277; Ferretus inscr. Vic. ms. f. 51; Cerchiari f. 49. Ab his pendent reliqui: Reines. 8, 18 ex Ursato; Furlanettus p. 47 n. 48; Schio inscr. Vic. p. 117; Orelli 1644.

2785 Abani rep. in pratis prope balneas VALLISNIERI 1711. *Trovata ad Abano e dall' abate di S. Daniele affissa nella facciata della sua chiesa* CAM. SILVESTRI. Ibi in novis balneis POLCASTRO eodemque loco (*stabilimento Todeschini*) adhuc.

A A
C : CLVENTIVS · C · F
ROMVL · PROCVLVS
ATESTE · AEDILIS · II · VIR · QVAESTOR
5 AERARI · BIS · PONTIFEX · V · S

Contuli. *Giornale de' letterati d'Italia* 7 (Venetiis 1711) p. 475, cui miserunt Vallisnerius et Ioh. Bapt. Ursatus; Cam. Silvestri ad Averoldum c. a. 1713 (misc. Averoldi vol. XVI f. 183); Car. Silvestri apud Calogera 6 (1732) p. 422 (inde Mur. 87, 8); Polcastro inscr. p. 16 n. 48, *Padova* p. 171; Mandruzzato *bagni d'Abano* 1 (1789), 41. 3, 61; Orelli 3987; Furlanettus p. 46 n. 46 male.

2786 Saccolongi rep., dum templum instauratur, et ibi servata SALOM. Prope Abanum adquisitam Facciolatus misit Camillo Silvestrio Rovigum SILV. Iam Veronae in museo philharmonico n. 149. — Regii ORELLI errore.

A · IVNIVS
MACRINOR · L
NIGELLVS
A · A · V · S · L · M

Contuli. Salomoni 1708 p. 278; Cam. Silvestri ad Averoldum c. a. 1713 (misc. ms. Averoldi vol. XVI f. 183); Car. Silvestri apud Calogera 6 (1732) p. 423 (inde Orelli 3011); Maffei M. V. 89, 2; Furlanettus p. 47 n. 49.